is

Rostkowicz Martini Richardi: Eucharisticon solenne Rmo D. D. Ioanni Iordan etc.

EVCHARISTICON
Sollene

R^EVMO^ D. DOMINO

IOANNI IORDAN

A ZAKLICZYN,

ABBATI CHEBDOVIEN. & Sandecen. &c. Professo ordinis Præmonstraten. dignissimo.

IN

Felici ingressu in Abbatiam Chebdouiense.

A

F. P. MARTINO RICHARDO ROSTKOWICZ eiusdem Ordinis Professo cliente, suæ Reuerẽdiss. Paternitatis factum, dicatumq;.

VII. Calen. Mart. Anno Domini. CIↃ. IↃC. XX.

CRACOVIÆ
Anno Domini. 1620.

IN STEMMA REVERENDISS: ABBATIS IORDAN.



VT tuba multiplici crepitans ferit aëra cantu,
Prouocat ad bellum fortia corda virûm:
Sic Abbas claro virtutum stemmate cinctus
Æthereo laudes, concinit ore, Patri:
Vt Fratres summo persoluant vota Tonanti
Efficit, excelsa laude dec[illegible]s [illegible]o.
Viue decus Templi Ioannes Chebdouiensis
Abbas, Iordaneæ lúxq; decusq; Domûs.
Te Sandecenses memorabunt compita Templiq;
Plaudit in aduentu Chebdouiense solum.

ODE PHALEVCIA.



Cœtus pie, Miles ô NORBERTI
Lætum te esse volo, diemq; lætum.
Felix exoritur vetusto ab æuo
Mystes nempe tibi, ipse moris, atq;
Virtutis veteris: vetustiorum
Gnarus artium, amansq; veri,
Et veræ Fidei vetustioris.
Mystes hiccine cernitur sacratus



Cuius est honor, & beata cura
Priuatis simul esse, publicisquê
Rebus præsidium: bonos tueri;
Malos opprimere, ac fouere Diuas
Fontis Castaly Themynq; diam?
Iordanouius? ille comparatæ
Cui niues videantur esse nigræ:
Quem suum veteres velint Athenæ;
Quem suum vetus ipsa Roma dici:
Quem nostrum cupio, atq; iacto nostrum.
Nam dum Corpore nostra mens ligatur,
Nos vinclo sibi colligauit arcto.
O nostrum decus, ô Patrone salue
Et cœtus rege, promoue, tuere
Nostros, dirige nos tuos clientes
Publicum inq; bonum erige, ac beatè
Longeuus Patriæ, tuisq; viue,
O Magnus Pater audiat, Fidesq;.

Ode Syncharistica.

QVisnam hic? quis nouus occupat
Ardor? quis trepidum rapit
Docti ad culmina montis
Phæbo operatum?
An verus vetus est amor
In te Abbas bone? nobili
Clare à stirpe opibus, magis
A probitate.
Ille est, ille meum ferit
Thyrso pectus, & intima in-
Fundit gaudia, cum videt
Inclyto honore
Auctum te, Da te lilia:
Flores spargite duplices,
Sertos, siue solutos,
Thura adolete.
Nullo cum strepitu dies
Sollennes agite, & bonos
Mente, ac ore suaue
Promite carmen.
Mystes à Zakliczyn pius
Virtutis subit arduas
Arces; Abbatiam, hoc est
Chebdouiensem.
Qualis Scipio Murice
Insignis Capitolia

Victis

Victis hostibus atris
Aurea scandit.
Plebes, atque patres premunt,
Hic cingit, subit, hic præit:
Illius noua tentat
Gaudia pectus.
Perge ô tu quoque numine
Dextro victor, & assere
Antiquæ fidei sacra
Heu violata.
Quæ non flagitia adspicis?
Quas labes scelerum? ruit
Doctrina illa vetus Patrum, &
Patria virtus.
Felix iam ingredere, ac vige
Et tristes superûm minæ
Ibunt; atque redibunt.
AVREA SECLA.

Ode Sapphica.

ABbatem magni celebrate vates,
Phœbe da vires, resonare mens est
Nostra Ioannem celebrique versu
Dicere Iordan
De Zakliczyn candidum & altum honore
Hic genus ducit, proprioque stemmate
Inclytus fulget, velut inter ignes
Luna minores.

 Illius

Illius Chebdouia gratulare
Ergo honori; hunc excipe versibusque,
En tubas cernis, quibus est patenti
Clarus in orbe
Rexit hic prudens bene Sandecenses
Ordinis Fratres decorauit ædes,
Ritibus sacris vetera innouauit.
Clarus vbique?
Vos in aduentũ properate Fratres
Quos tenet Chebdouia, ceu pupilli,
Abbatis vestri roseos cum amore
Cernite vultus.
Ad pedes ipsos caput admouete.
Hic sacram vobis benedictionem
Largietur, vos pariterq; læto
Viscere condet.
Mentis est virtus habitus decoros
Fulgidus cunctos faciens beatos
Diuites, claros, quibus ipsa blanda
Oscula figit.
Hanc Deam prisci cecinêre vates,
Et quidem dignè: quoniam sub alto
Orbe, nil vnquam fuit, aut futurum
Clarius ipsa.
Parastat hæc clarum sine fine nomen,
Gloriam, famam, celebres triumphos
Splendidos, confert titulos, perenne
Et decus addit.

Hæc opes veras tribuit, laborum,
Tædium mollit grauium; molestas
Pectoris curas adimit, tumentes
Mitigat æstus.
Hæc suos nunquam patitur colonos
Emori, tarde facit vt nepotes
Mille post annos venerentur altum
Nomen auorum.
Quisquis est virtute decorus alta,
Inter, & ponti tumidas procellas
Tutus, hac densas penetrabit arcti
Carceris vmbras.
Non minus Regum metuit potentum;
Nec Gethæ strictos gladios minacis;
Militum turmas strepitumq; belli
Negligit vltro.
Absq; virtutis studio quid aurum,
Alta quid centum Pharijs columnis
Tecta, quid tinctæ Tyrio iuuabunt
Murice vestes?
Quid graui pulchræ studio paratæ
Proderunt arces? nitidi quid arcus?
Forma quid præstans, genus & piorum
Stemma parentum?
Mugiant centum tibi Cræse vaccæ
Hinniant centum pariter caballi,
Et tibi centum grauidæ bidentes
Vellera portent;

Non tamen dici poteris beatus,
Nî comes virtus veneranda sacris
Legibus carnis reuocans rebelles
Temperet artus,
Scire quid prodest tacitos meatus?
Et post motus, celeresq; Phæbi
Aut maris fluctus properantis altos
Quid rogo cursus?
Lustra securum numerosa, virtus
Incolam mundi faciet videre
Sola non eius remouebit vnquam
Cura soporem.
Te colunt Mauri generosa virtus,
Et tuum numen rogitant Iberi
Et stupens serò tua facta flaui
Orbe Britanni.
Ante se tellus super alta tollet
Sydera, aut ceru i super æthere alto
Ante pascentur, quàm in honore non sit
Candida virtus.
Diua quæ cælo resides, in alto
Mentibus nostris tenebras repelle,
Pectus vt nostrum Domino poli sit
Sedis ad instar.
Vos at ô Fratres properanter ite,
Abbatem vestrum veneranter ore
Alloqui cuncti cupiatis, hocq;
Dicite carmen.

Sarma-

Sarmata ſalue celebris dynaſta,
Ordinis noſtri pater & patrone,
Stemmate & virtute decorus, omne
Viue per æuum.
Perge virtutes animo fouere,
In tuos ſeruaq; humiles amorem
Quæſumus cuncti pariter clientes,
Viue Patrone.
Plaude Norberti ſacra nunc propago:
Ecce virtutum titulis corruſcat,
Gratiâ Iordan Domini repletus,
Plaude viciſsim.
Eius exemplo Domino placere
Sic potes Mundi, atq; poli Monarchæ:
Tu modò Auguſtine tuis foue nos
Diue ſub alis.

LABORI PRÆMIVM.

Qualis vere nouo roſæ
Latè ſparſus odor fungit amabilis,
Cum Phæbus roſeam diem;
Diſpellens tenebras lumine fulgido
Curru prouehit aureo.
Talis tu Protauis præſul ô inclyte
Fulges clarus honoribus;
Dum frontem niueâ cingeris infula,
Laus hæc maxima, maximis
Eſt & digna tuis palma laboribus,
O quanto melioribus

Nunc tu iam meritis perfrueris bonis
Quàm qui vicerit Isthmia
Quæ vanis celebrat Græcia laudibus

Epigrammation. I.

SI laudem pietas vllam sincera meretur
Veris suis cultoribus:
Eximiæ si quæ est doctrinæ gloria: doctæ
Et si qua laus facundiæ:
Si summis, imisq; viris placuisse; malorum
Hostem fuisse perpetem
Est virtus locuples testis vindexq; probatæ
Vitæ crepantibus incidis.
Ecquis te Præsul vixit felicior? ecquis
Si sic eas, beatior?

II.

Voce, manu, vita studium tibi maxime Præsul
Feruescens cunctos erudijsse fuit.
Et vita, & mores non paucis vnde nouati
In melius; placuit, quæ is tua scita sequi.
Vnum vtinam hoc quoque sit! sic vt te nempe se-
Omnes in priscâ Relligione ducem (quantur
Et fiet credo. Feliciter ingredere istam
Sedem, nempe solet NVMEN adesse suis.

III.

Liuori mæror tua virtus; gloria magna
Est tibi. Quid? meritus laurea serta tenes.

Quid

Quid liuor edax? immotus laude vigebis
Scilicet haud petitur, laurus ab igne Iouis.
Laude virefce tuâ femper. Parnafside lauro
Cingere, nempe viret laurus adufta gelu.

FAVSTÆ AGCLAMATIONES.

I,
QVot parit aêr
Altiuolantes
Optime Præful
Viue tot annos.

II.
Quot tulit Hybla
Germine flores
Lucida lampas
Relligionis.
Viue tot annos.

III.
Quot mare pifces
Pafcit in vnda
Optime Præful
Viue tot annos.

IV.
Quot videt amplum
Sidera cælum,
Viue tot annos.

V.
Quot tenet altum
Littus arenas
Viue tot annos.

VI.
Viuito felix:
Viuito lætus,
Viue beatus.

OMEN.

FElix ingreditor iam folium tuum;
Inftar veris enim vultus vbi tuus
Affulfit placidus: gratior it dies
Et foles melius lætifici nitent.
Nobis ô voueo dulce decus nite.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0011354

